

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE

LILIO CONVALLIVM

QVAM

PRÆSIDE

D. IOANNE HENRICO SCHVLZE

MEDICINAE ELOQVENTIAE ANTIQVITATVM ET
PHILOSOPHIAE PROFESSORE PVBLICO

ORDINARIO

ACADEMIARVM IMPERIALIVM NATVRAE CVRIOSORVM
ET PETRIPOLITANAE VT ET REGIAE SCIENTIA-
RVM SOCIETATIS BEROLINENSIS

SODALE

PRO SVMMIS IN ARTE MEDICA

HONORIBVS

ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS

MORE MAIORVM RITE OBTINENDIS

Ad d. Mart. MDCCXLII.

PVBLICE DEFENDET

A VCTOR

GODOFREDVS CHRISTOPHORVS
MOSSDORF

IERSLEBIA - MAGDEBVRGICVS.

HALAE MAGDEBVRGICAE

Litteris IOAN. CHRIST. HILLIGERI, Acad. Typogr.

234

1742, 16^e



DISEPTATIO RATIONABILIS MEDICAE

DE

LILIO CONVALLIVM

QUAM

PRÆSIDI

D. JOHANNI HENRICO SCHWALZE

MEDICINAE ET OBSTETRICIæ ANTIQVATAVM ET

PHILOSOPHIÆ PROFESSORIS PVBLCI

ORDINARIO

ACADEMIARVM IMPERIALIVM NATVRAE CVRSORVM

ET PETROPOLI TANAE VT ET REGIAE SCIENTIA-

RAM SOCIETATIS BEROLINENSIS

SODALIS

PRO SYMPTOMATA ARTE MEDICAE

HONORIBVS

ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS

INSTE MAIORVM RITE OBTINENDIS

M. A. MDCCCLXXXII

PAVLI DE BRESLAU

AVTOR

GODFRIDVS CHRISTOPHORVS

MOSSDORF

LIBERIS - MDCCLXXXII

HAAR M. DEBETRICER

HAAR M. DEBETRICER, Aced. Typogr.



DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
LILIO CONVALLIVM.

PRAEFAMEN.



S nihil nisi novum, & antea nondum tractatum, proferri in cathedra medica deberet, fuisset mihi ab hoc, quod elaborandum sumsi, themate abstinendum atque quaerendum aliud: Nam non ignoro, in duabus academiis de eadem plantula, quae me ad sui considerationem invitavit, ante non longissimum tempus emissas fuisse dissertationes, quas me legisse non dissimulo, utramque autem sua laude ornandam profiteor. Quemadmodum autem nemo reprehendit, quod idem concionator, recurrente per annorum seriem longam eadem die dominica, aut sacro festo, de eodem argumento verba ad populum Christianum facit: neque facile accidit, ut non quotannis inveniunt

12

A 2

viri



virii diligentes novas meditationes, quibus auditores suos ædificent: ita quoque comparatum esse cum medicinarum concernentibus rebus existimo. Indies enim nova suggerit observatio sedula, et usus rerum plura pandit, nosque instruit de multis, quae antea erant præteruisa. Cujus generis aliqua puto mihi obtigisse, quae possim de lilio convallium scribere, ut non opus mihi futurum sit tantum repetere a prioribus dicta. Ea, quae ad botanicam considerationem proprie pertinent, quum satis diligenter, & ut existimo, plene prostent scripta, minime omnium morabor, contentus strictim ea recensuisse; sed in virium scrutinio tanto verlabor diligentius. Quoniam autem mihi ad propriam experientiam colligendam aditus per leges publicas nondum patuit; illamque demum facultatem edito hoc novissimo specimine me consequuturum spero: oportuit utique aliorum, de experientia testantium, bona fide plerumque niti, ratiociniis autem & analogia in aliis duci. Quæ singula docti et benevoli lectoris æquo iudicio permittuntur: a quo veniam etiam spero, si me aliquando satis pervulgatam et vetustam persuasionem deferere intellexerit.

§. I. Illia, ab antiquissimo tempore inter homines asstima-
 ta & scriptis tam sacris, quam profanis, celebrata,
 incertum utique & vagum nomen sunt, quoniam
 veteres auctores nesciverunt artem vegetabilia notis
 characteristicis describendi, ut ex illis lectores certi redde-
 rentur, de quam planta accipere quodvis nomen de-
 beamus. Scilicet pingere illas contenti, nomen atque
 de viribus & usu sermonem subiungebant. Postquam
 autem illa picturæ amissæ sunt, solusque textus legitur,
 nil mirum esse debet, si vel cæcutire, vel incerta conie-
 ctura vagari subinde debemus. Neque hoc solum in liliis
 ita deprehendimus, verum etiam rosæ, violæ atque
 multæ aliæ plantæ eandem sortem expertæ sunt. Fere-
 que hic confidere debemus longo usui, quo per tradi-
 tionem perpetuam talia ad nos pervenerunt. Nemo
 enim aut medicus aut pharmacopœus vel natus est, vel
 celo decedit: sed ea a præceptoribus magistrisque suis
 cuique ostensa et inculcata fuerunt singula, quæ in offi-
 cinis adservantur, & adsumi debent, si quod medicamen-
 tum ad usum parari debet. Hinc fit, ut de officinalibus,
 quæ frequentioris usus sunt, medici non multum ambi-
 gant: ubi autem de iisdem dicta ab aliis, qui medici non
 fuerunt, conciliari debent, magnæ dubitationes & con-
 tentiones incidere soleant. Non licet nunc omnia, quæ
 dixi, seorsim comprobare: adeatur CLAUDIUS SAL-
 MASIVS de homonymis hyles iarrica cap. 24.

§. II.

Postquam recentius ævum mederi confusionibus &
 incer-

incertitudinibus, quæ ex vago nominum usu exoriuntur, semel conari coepit, circa liliū etiam laboratum est. Inter illos autem viros, quibus studium botanicum quam plurimum debet, non postremus TOVRNEFORTIVS est, cui id videtur consilium fuisse in ordinandis liliis, ut quam plurimæ plantæ, quibus id nomen a veteribus tributum est, stare sub illo possint. Is florem primo liliaceum aliquem concepit animo, & *isagog. in rem herb. descriptit.* Deinde in ipsis institutionibus rei herbariæ *class. IX. sect. III. IV. & V.* universa, quæ huc pertinent, ad genera revocat sequentia: ephemerum, phalangium, liliastrum, liliū, lilio - hyacinthum, coronam imperialem, tulipam, fritillariam, dentem caninum, ornithogalum, porrum, cepam, allium, lilio - narcissum, narcisso - leucioium & Bermudianam. Apparet quam amplam liliorum familiam botanicus fecerit: neque tamen nostrum, de quo agimus, liliū convallium in illa ullum locum invenit.

§. III.

Quare autem illa tam multa coniuncta, nostrum autem ab illis exclusum sit, ratio hæc est, quoniam liliacei illi flores plerique omnes a radicibus bulbosis propelluntur: deinde quia petalis ut plurimum sex, rarius tribus, constant, atque ipsorum vel pistillum, vel calyx abit in capsulam, tribus loculamentis semina includentem. Quæ singula in lilio convallium aliter deprehendas. Nam ex radice adsurgit fibrosa, flos autem monopetalus tandem producit baccam pulpæ molli semina sua includentem. Ex quo quidem satis apparet, nullam a natura affinitatem intercedere lilio convallium cum ceteris liliaceis:

eis: adeoque commune nomen accepisse ab aliquo videtur, qui liliorum pulchritudinem, candorem, bonumque odorem, admiratus, eadem hæc in nostra plantula sibi invenire visus fuit. Addidit autem ipsi a *convallibus* cognomen, ut distinctivum esset, notaretque locum, quo nasci maxime gaudet. Forte etiam respexit, ad *Cantic. II. vers. 1.* ubi κρινον των κοιλαδων, *lilium convallium* est, pro eo, quod in nostra vernacula legimus, *eine Rose im Thal.*

§. III.

Requiremus igitur paucisque referemus, quid ars botanica recentior de nostro lilio convallium præcipiat. Et initio quidem sunt, qui antiquum ipsi nomen requisiverunt: ex quibus LEON. FVCHSIUS *epheperum non lethale* voluit. Sed & hic improbatur, quoniam ephemerum petalis & modo fructificandi abhorret, atque nomina negativa parum commoda iudicantur. Fere idem de illis obtinet, qui colchicum hemerocallidemve dixerunt: nam non magis hisce, quam vero lilio accedentes characteres possidet. Duo nostri temporis botanici clarissimi nomina commodiora suaserunt. SIEGESBECKIUS quidem, horti Petropolitani præfetus, *Maianthemum*, quod Germanicum *Maienblume* quam proxime adsequitur: LINNAEVS autem, Sveciæ suæ decus, *Convallariam* denominavit, minime, ut videtur, longe a consueto & in officinis diu cognito nomine discessurus. Non dicam de GESNERO, qui vel *Callionymum* vel *Chamacytinum* dicere suadebat: nam non persuasisse eum doctis viris ex eo patet, quia neminem sequacem habet, & præcise nomen hodieque obtinet: forteque

teque omnes, qui hic sibi nimium indulgent, pari fato utentur, & sine comite soli ambulabunt.

§. V.

Recentiores botanici ad florem & modum fructificandi potissimum respiciendum esse, in characteristicis plantarum notis, tantum non uno ore docent. Horum antesignanus TOVRNEFORTIVS lilium convallium in prima sua classe recenset, quæ complectitur herbas & suffrutices flore monopetalo, campaniformi. Stricte autem definit lilium convallium, plantæ genus flore monopetalo, campaniformi, brevi, calycis experte & multifido: ex cuius fundo surgit pistillum, quod deinde abit in fructum mollem, ut plurimum globosum & seminibus dense congestis foetum. In RAI *method. plant. emend.* lilium nostrum convallium militat in genere XVII, seu herbarum bacciferarum, et quidem fructu racemoso, non scandentium sed erectarum. Notas ponit caliculos nudos flores & fructum sustinentes, flores parvos, campanulatos, nudos, margine in sex laciniolas secto, baccas rubras. Qui denique RIVINVM sequuntur, ob florem monopetalum in classem primam referunt: ob fructum autem referunt ad ordinem eorum, quæ semina ferunt bacca polypyrena. Atque sic emergit definitio, quam Cl. LVDEWIGIVS suppeditat, quod sit planta quæ caulibus nudis sustinet florem nudum, campaniformem, brevem, in sex lacinias leviter scissum, pendulum in spica homomalla: fructum autem fert globosum, seminibus dense congestis foetum.

§. VI.

DE LILIO CONVALLIVM. 9

§. VI.

Supereft botanicorum methodicorum noviffimus CAROL. LINNAEVS, qui in plantis digerendis & ordinandis novam femitam calcavit: qua via progredientibus lilium noftrum convallium, cui ipfe nomen convallariae impofuit, medio oridini liliaceorum poftliminio quali redditur. Ponit enim inter hexandria monogynia, quæ claffis omnia complectitur, quæ a Tournefortio ad liliacea referri fupra indicavimus. Hexandriam dicit ob ſex ſtamina filamentofa, ſubulata, petalo inferta, antheris oblongis erectis prædita: quæ in floribus plantarum mafculina eſſe membra exiſtimat, quibus fœcundus quidam pollen præbeatur, femininæ parti immittendus, a quo vegetativa omnis virtus fructui, inque eo contentis ſeminibus, tribuatur. Monogyniam appellat, quoniam in quovis flore eorum membrorum, quibus conceptio & elaboratio abſolvitur, tantum unicum deprehenditur: id eſt piſtillum, quod germen eſt globofum, utero comparandum, cui vis aut pollen ſeminalis mafculus per ſtilum filiformem, ſtigma obtuſum trigonum in apice ſuo habentem, tamquam per vaginam utero immittitur. Vide ipſum, ſi placet, auctorem in *generibus plant. earumque char. natur. pag. 69. num. 272.* Placet autem ipſi nomen convallariae, præter lilium noſtrum convallium, convenire etiam polygonato, quod vulgo figillum Salomonis vocatur, & unifolio: de quo inferius etiam mentio injicienda erit.

§. VII.

Supereft ut pauca adjiciamus ad univerſum plantæ habitum pertinentia. Eſt planta perennis, radice fibro-

B

fa

sa proserpens, per quam magis, quam per semina, propagari videtur. Amat loca umbrosa & silvas caeduas: aprica autem, quæque ad nudum solem facile exsiccantur, refugit: ut & pratis non innascitur, quantumvis ibi humiditate destitui non posset. Prorumpit ex terra Aprili exeunte, foliis in acutum contractis, quæ deinceps explicantur, & lato virore nitent. Flores Maio iam adulto perficiuntur, quibus tandem marcescentibus bacca succedunt duræ & saturate virescentes, quæ maturitatem consequuta iucundo corallino colore oculis placent, & sub externa cutè aliquid pulposum, & semina exigua, fovent. Flores non aque copiosi & iucundi singulis annis proveniunt: immo observatum est per integras silvas, quibus olim abundantissimi fuerunt flores, deinde per multos annos continuos adeo defecisse, ut vix manipulum toto die colligere possis, etsi foliorum amplissima multitudo invenitur: quod annotatum lego in *bibliotheca academica pag. 468. 469.* Sunt autem flores plerumque albi; obtingunt autem etiam jucunde purpurascens, ut & pleni: quod hortulanorum arte & industria procuratum videtur.

§. VIII.

Pertinere etiam ad plantæ nostræ notitiam videtur, quod potius frigidarum quam valde calidarum regionum sit alumna. De frigidissimis terris Lapponicis auctorem habemus IO. BILBERGIVM, quod ibi medias inter nives & frustra glaciæ lilii convallium vim magnam invenerit. Contra vero ex Italis medicis nondum occurrit, qui de hac planta, tanquam domestica & vernacula, loquutus sit. AMAT. LVSITANVS, qui in Turcicis regionibus & Ita-

lia

lia praxin medicam fecit & libros suos exaravit, suo in *Discorid. comment. Lib. IV. enarrat. 88.* de lilio convallium scribit, quod omnes hortos hodie exornet: & PET. ANDR. MATTHIOLVS in *Discorid. pag. 631.* nonalibi videtur de usu hujus plantæ edoctus, quam in Germania. Ita enim scribit: *lilii convallii magnus apud Germanos in medicamentis est usus: abundat enim eo maxime Germania.* Sed Galliam quoque sponte provenientius hic liliis abundare, satis comprobatur SEB. VAILLANTII *botanicon Parisiense*, ubi loca, quibus proveniunt, complura indicat. Non inutilis, credo equidem, erit hæc observatio, quoniam cogitandi ansam præbet, an satis multum causæ sui studii habuerint, qui magno molimine conati sunt, ut lilio convallium nomen antiquum ex Theophrasto Eresio, Dioscoride, Galeno, Plinio, aliisque vetustis adsignent: quum forte nullus horum auctorum hanc plantulam oculis suis unquam usurpaverit.

§. IX.

Tempestivum jam videtur progredi ad indagandas vires, quas natura lilio convallium tribuit. Eas quidem ab experientia certissime cognosci fateor & contendo. Sed quoniam ita accepimus quod sensuum indicio a priori, ut loqui solemus, indagari possint: neque hanc viam negligere volumus. Eminus quasi nos allicit iucundissimo sensu, quem odoratui nostro imprimis, quique, fatente AMATO LVSITANO, quem antea citabamus, parum inferior est gratia florum aurantiorum. Mirifice nos delectat atque excitat iste odor a moderata florum quantitate emissus & naribus exceptus: unde planta meruit apud

non paucos cordialis, apud alios cephalicæ elogium. Enimvero si idem odor confertim, in conclavi clauso, per noctem inprimis, allabatur, temulentam capiti gravitatem inducit, & quandam resolutionem cordialgico vomibundam: aliis autem, notante D. D. SENCKENBERGIO suffocatoriam. Paria in hoc facit cum lilii vulgaris floribus, ut & rosis illis elegantibus, quas centifolias dicere solemus: quarum odor copiose in horto quodam vespertino tempore haustus, aut clauso loco inspiratus, aliis caput mirifice, aliis ventrem turbat & copiosas dejectiones movet.

§. X.

Flores hodie censei solent nuptiæ plantarum. Quemadmodum autem a nuptiarum jucunditate ad matrimonii subsequencia tempora & eventus non est firma consequentia: sic a florum blanditiæ ad integræ plantæ, atque omnium ejus partium, ad nos habitudinem concludi non posse, multis instantiis facile probari potest. Quid facile jucundius est flore Thymelææ, qui non minus ad spectum quam odoratu nos juvat: quum planta omnis tam sit vehementis virtutis dejectoriæ & ectromaticæ, ut usu ejus promiscuo bonæ leges interdicant. Sambucus, drasticum vomitorium & catharticum in foliis suis & cortice, quam jucundos fert flores? & quid de rosis dicam, quarum odor jucundissimus effecit, ut inter cordiales flores primo loco scribantur, quum revera sint ipsi flores vehemens & respectively periculosum purgans: illæ certe rosæ, quæ quam fragrantissimum atque plurimum odorem emittunt. Nihil itaque amplius indicat floris gratia, quam quod gaudeat particulis volatilibus oleoso-salinis, quæ pro indole admixta-

admixtarum reliquarum humores nostros alterare possint, & per has partium solidarum diversos motus producere. Est autem illud valde notabile, quod is jucundus odor fugitivus sit, citoque exhalans exsiccatos flores destituat. Deinde quod in conciso aut contuso flore magna ex parte pereat: altero volatilitatis teste, altero autem indicio, quod subtiliores illæ & exhalabiles particule, crassiorum interventu & admixtione, implicari & submergi possint atque soleant.

§. XI.

Alterum, quod sensus in hac planta detegit, est sapor in omnibus ejus partibus vegete amarus. Nam non solum in foliis & radice ac fructibus seu baccis regnat, verum etiam floribus, a quibus destillatis quod superest decoctum, si porro lenissime exhalando inspisses, accipies crassamentum, quod vix minorem, quam aloë, amaritiem gustui impertitur. Si plantæ hujus aut florem siccatum aut radicem vel semina in pulverem redigas, experieris a singulis virtutem efficaciter ptarmicam. Si recentis plantæ quamcunque partem contulis aut sigillatis imponas, deprehendes ab iis præsentissimum effectum resolventem atque discutientem: non minus certe efficacem quam a polygono, quod & sigillum Salomonis dicere solemus, experiri licet. Planta hæc, quam lilio convallium characteribus proximam botanici fatentur, Linnaeus etiam eodem convallariæ nomine, ut dictum est, appellandam censuit, forte magis vulgi, quam eruditorum medicorum usu trita est. Solent hi homines, ubi quid insolitum offertur, faciles esse ad fascino accusandum. Me-

mini me rure aliquando degentem observare, quum matrifamilias nunciaretur, quod vacca quædam pro lacte sanguinem ex uberibus reddat, illico misisse aliquem suorum in silvam, qui sigillum hoc Salomonis afferret: quod quum accepisset, herbam ac radicem contusam uberibus alligabat: quo facto altero die lac laudabile ex mammis mulgebatur. Credebatur effectus fuisse magicus, eumque ab hac planta fuisse correctum & ablatum.

§. XII.

Odor itaque qui in floribus recentibus copiosissimus est, & valde efficax, testimonium præbet de subtili aliquo principio salino & sulphureo mobilissimo & volatili, quod, quum nulli tenaci & viscido, qualia resinas faciunt, inhærescat, cito omne exhalare potest. Quare admodum difficile est, illud seorsum excipere & sub forma olei ætherei exhibere: & forte vix succedet nisi admodum insigni quantitate flores illi destillationi subjiciantur. Quod quidem mihi nondum licuit experiri: credo tamen honestis viris adserentibus quod illud preparaverint, aut præparatum viderint. Nam etiam ex rosis nostris, si quis recentes flores, magna quantitate acceptos, destillationi subjiciat, pauxillum olei præstantissimi impetrari posse minime dubito: vidique & exploravi tale ex Florentia allatum, atque ibi magno pretio entum. Quodsi vero hujusmodi floribus, ut nostro lilio convallium atque rosis, addamus aliquod menstruum, quod oleosas partes possidet, quibus sese jungere fugaces illæ sulphureo salinæ possint; cum iis cohærent atque una manent, sicut & odoratu distincte cognosci a perito exploratore possunt:

sint: viriumque notabili experimento deprehendi queant. Sic recentes flores vino infusi & aliquamdiu digesti odorem ipsi suum tribuunt: quod bibitum sulphureas partes caput feriente & implente virtute sua nimium prodit: destillatum autem odorem specificum exhibet, præsertim si exiguam quantitatem leni calore evaporandam aperto vase reponas, unde odor per fatis magnum conclave dispergetur, quem omnes fatebuntur eundem esse, qui ex lilio convallium recenti exhalat.

§. XIII.

Si eidem destillato spirituosissimo conjunxeris modicum sacchari in aqua soluti, aut syrupi cujusdam, cui per se non inest specificus aliquis notabilis sapor v. g. syrupum capillorum veneris, gustu etiam singularem gratiam, quæ liliū convallium, excepta amaritie nativa florum, refert jucundius percipies. Atque si eidem gratiorem aliquem jungas, ut ex cerasis aut rubo idæo rite paratum, habebis liquorem colore, odore, sapore adeo gratum & animo exhilarando, si moderate adhibeatur, tam aptum, ut nihil cogitari possit præstantius. Qualem se spiritus hic gerat externo usu, deinceps commodius dicemus. Nunc addimus, quod quidem ex ante dictis jam colligi potest, mirum quantum inferiorem gratia odoris & saporis specifici deprehendi aquam destillatam, præsertim eam, quæ per aliquot menses asservata fuit. Si peracta destillatione decoctum saturatum a floribus colando separes, & facta depuratione per subsidentiam & despumationem blando calore inspisses, accipies crassamentum sive extractum valde amarum, quod ex illo præcipue cum vino adeo

adeo limpidum & lucidum, tanquam ipsam Aloen succo-
trinam tractares, miraberis: quanquam in eo differentiam
infirmam mox experieris, quod etiam optime ad siccita-
tem exhalatum, exiguo sane tempore, humiditatem attra-
hit, indeque vix aptum pilulis, quæ durare aut peregre
mitti debent, inveniatur. Ceterum falluntur sane, qui
LYDOVICVM sequuti, effoetum hoc extractum perhi-
bent: quum in se sal omne fixum, quod in floribus, est,
contineat, de quo mox plura differemus.

§. XIV.

Sapor notabiliter amarus & penetrans per omnes
plantæ hujus partes regnat, & tam in recenti quam siccata
percipitur: migrat etiam in aquam & vinum pro infusio-
ne & decoctione adhibitum, & evaporato omni humido
perstat, ut in extracto manifestum est. Non injucun-
dum, spero equidem, benevolo lectori erit, si cum ipso
communicavero experimenta quædam, nuper in floribus
siccis instituta & cum extracto etiam ex floribus recentibus
cum vino superiori æstate parato. Pari quantitati
florum in altero vitro infundebam aquam a floribus de-
stillatam: in altero spiritum vini rectificatissimum. Pari
calore, æquali tempore, digestionem quinque horarum per-
mittebam. Infusio cum aqua facta colorem brunnum ex-
traxerat: altera cum spiritu vini aliquantulum flavescen-
tem instar vini Rhenani. Aquosa intense amara gustan-
tibus pluribus videbatur: vinosâ amara, sed longe infra
alteram. Neutra odore omni destituebatur, ita tamen
ut ignari unde paratæ essent, non adsequerentur aliquem
specificum. Quum aquosâ infunderem spiritus vitrioli

neuti-

neutiquam inertis aliquot guttulas, donec gustu percipi posset, odor ad quamvis fere guttam insurgebat gravior, magisque jucundus: amarities autem tantum aberat, ut auferretur, ut magis etiam intendi videretur. Idem quum tentarem in ea, quæ cum spiritu facta fuerat, infusione, odor aliqualis etiam gratus exspirabat, sed longe minus sensibilis: amaritudo autem non expellebatur omnis, sed cum acido subsistebat, ubi post permixtionem acidi utraque infusio per aliquot horas steterat, color aquosæ brunnus quidem sed limpidus persistebat: spirituosæ vere turbatus, innatantibus albetibus floccis, tanquam præcipitari aliquid resinofum vellet, apparebat.

§. XV.

Quum hæc experimenta cum acido spiritu instituissem, transtuli industriam ad alcalina in iisdem infundenda. Et primo quidem eidem infuso, cum aqua destillata parato, affudi saturatam solutionem cinerum clavellatorum: limpida, ut fuerat, permanebat infusio, sed color exaltabatur in talem, quem saturatissima tinctura metallorum habere possit. Sapor post triginta horas adhuc erat notabiliter amarus, ut vix quicquam concederet illi, cui acidum instillaveram. Etiam extractioni florum cum alcohole vini factæ adfudi parem quantitatem solutionis alcalinæ: illico turbabantur omnia & quasi offam constituebant. Post aliquot horas superstans liquor clarescebat, coloremque exhibebat essentiæ corticum aurantium. In fundo jacebat sedimentum salinum sulphurei coloris, saporis cum alcalino aliquid nitrosi refrigerantis & salis linguæ imprimensis. Liquor limpidus ama-

C rus

rus utique erat, eadem tamen proportione minus, quam aquosa & spirituosa, ante adfusionem alcalini, amaritie discrepabant. Neuter horum liquorum odorem emittebat, quum alcali adderetur, neque postea quicquam odoris specifici spirabat. Sed quum extractum cum aqua bene spirituosa propria diluisssem, eidemque alcali solum infudissem, tinctura emergebat instar essentia corticum aurantiorum officinalis, quæ post horas triginta odoris specifici aliquantum, plus que saporis cum amaritie custodiebat, ad fundum autem etiam deiecerat sedimentum prius descripto super sapore, minus autem flavescens atque minus copiosum.

§. XVI.

Hoc facto flores infundebam saturata solutione salis alcalini, ut aliquantulum emineret liquor. Loco reponebam calido per diem & noctem: erat saturate rubicunda limpida extractio, quæ gustata amarum utique prodebat, sed a lixivioso fere suppressum. Vbi autem aquæ instillaveram, amaritiam notabilem prodebat. Hujus mere alcalinæ extractionis anaticam portionem permiscebam alii infusioni, quam interea paraveram, spiritu liliorum convallium, utique non rectificatissimo, floribus affuso, & per biduum loco calido reposeram. Accidebant a permixtione eadem, quæ §. XV. diximus evenisse, quum alcali solum adfunderem extractioni florum cum spiritu vini longe magis dephlegmato factæ. Turbantur omnia cadebatque celeriter aliquid manifestum salinum, instar sabuli granulatum. Superstabat humor instar saturati infusi Coffee brunus, amarus, aliquan-

quantum odoratus, & alcalini saporis prædominium ostendens. Antea mihi ipsi, ne præcipitatum aliquid per alcali existimarem, objiceram, fieri potuisse, ut, quam tam alcalinus liquor, quam spiritus vini, nihil superflue humiditatis haberet, spiritus aquæ illius, quæ alcali continebat, portionem arripuerit, unde sal siccum deciderit; quod toto die in crySTALLIFICATIONE salium celeriter promovenda solemus facere: nunc autem ipsemet dubitare de ætiologiæ illius firmitate incipiebam, meque ad nova experimenta convertendam, de quibus postea dicam.

§. XVII.

Solveram etiam extracti florum cum vino facti aliquam portionem affusa saturata solutione alcalini salis, ea proportione ut extracto non nisi quadruplam partem humoris lixivi adderem. Spissa erat solutio & parum diaphana. Odorem debilem spirabat; sed sapor erat intense amarus. Quum per triduum stetisset, observabam aliquod sedimentum griseum ad fundum cadere. Quibus experimentis satis utique convictus mihi videbar, de duobus phenomenonis; quod alcali scilicet odorem florum liliorum convallium non excitet, sed potius infringat & auferat, sed quod ad saporem amarum auferendum illud minime sufficiat; etiam si largiri velimus, quod aliquantulum mitiorem illum reddat. Eodem tempore, quo flores alcalino saturatissimo liquore infundendos statuebam, eosdem etiam acido meraco spiritu vitrioli probe humectabam, ut penitus maderent: non autem tantum, ut submersi omnino essent, adfundendum videbatur, ne, ob spiritus vehementiam, penitus destruerentur. Relin-

quebam ita humectatos in vitro patulo conservari, charta tantum super imposita. Deinde affusa aqua, calida fornaci per diem noctemque impositum reliqui. Quum deinde aperirem vitrum, odor gratus obviam spirabat, sapor autem acidus cum amaro vegeto ita junctus deprehendebatur, ut difficile dictu esset, uter magis perciperetur. Atque sic etiam de floribus certo convincebar, quod nec odore, nec sapore amaro, per acidum spoliarentur. Id vero in baccis aliter observavit vir doctus: ex quo confirmamur, non eandem esse floris & baccae rationem.

§. XVIII.

Supereff, ut exponam, quid mihi in examine illius falini, quod a permixtis infusione florum cum spiritu vini rectificatissimo facta & saturæ solutionis alcalinæ proveniebat §. XV. ut & alterius, de quo §. XVI. mentio injecta fuit, porro obtigerit. Vtrumque sedimentum, a superstante liquore diligenter decantando liberatum, exficari permittebam: deinde aqua solvebam, filtrabam & evaporando siccabam. Gustus docebat utique, quod a puro sale alcalino hoc multum discreparet, & ad sal medium alcalino permixtum accederet. Crystalluli sub exhalatione enati erant, alii superficiem instar glaciei obtegentes, ut in puro alcalino sale, quod juxta positum in altero vase æquali caloris gradu exhalabam: sed in his intermicabant longi, quales esse nitrosi solent. Penitus exsiccatum illud §. XV. flavedinem monstrabat instar florum sulphuris: alterum §. XVI. erat prope acurantii obsoleti coloris. Affusis itaque isti quidem spiritu liliorum convallium, huic alcohole vini extrahere conabar, quic-

quicquid ab extractis a floribus tincturis sali adhærescebat: impetrabamque sic salern album purum. Interea, dum hoc fiebat, æquales portiones ejusdem spiritus rectificatissimi, quem ad extrahendos flores adhibueram, atque ejusdem solutionis alcalinæ, qua præcipitatio facta fuerat, inter se permiscebam. Spiritus superiora tenebat: liquor alcalinus ad fundum decidebat, resque suas sibi separatim habebat per horæ fere spacium. Quum deinde interagitaretur uterque liquor, incipiebat aliquid grumosum in alcalino se ostendere & fundum petere, albi coloris.

§. XIX.

Accidit igitur ex parte quod suspicatus fueram, sed cum hac notabili discrepantia, quod in illis mixtionibus §. XV. & XVI. illico, cum confunderentur liquores, turbatio & præcipitatio accidebat: hic nulla, nisi post interagationem vehementem & repetitam, apparebat: deinde, quum hic æquales prioribus quantitates miscerentur, non tamen eadem erat salis, quod præcipitabatur, quantitas, sed vix dimidia. Sales illi bini §. XV. & XVI. sapore multum differebant: hic §. XVIII. mere alcalinus erat: illi ad medium illud, quod terram foliatam tartari vocamus, magis accedant, inque superfusum spiritum majori parte recipiebantur, quicquid autem a spiritu non solvebatur, erat sal verum neutrum, amarum, durum, ut inter dentes bene siccum creparet, ac si vel tartarum vitriolatum vel arcanum duplicatum velles comminucere. Jam vero videat ipsemet benevolus lector, unde illud productum velit statuere. Mihi non aliud succurrit, quam

quod alcali verum, a me in experimentis adjunctum, invenerit aliquod acidum, quocum coiret in sal mediæ naturæ. Ex quo consequitur, justam esse rationem floribus lili convallium tribuendi aliquod acidum principium: quod in pluribus etiam vegetabilibus amaris existere, factis hodie compertum est: a me autem hoc loco comprobari nec opus nec tempestivum videtur.

§. XX.

Longius scrutinio huic indulgere tempus nunc non permittit: cui majori otio forte aliquando me reddam, & in recentibus etiam floribus, ut & foliis & radicibus, tentabo aliqua. Nunc progredior ad alia unde indagatio virium, quibus hæc planta pollet, adjuvetur. De floribus exsiccatis notissima res est & constantis experientiæ, quod effectum ptarmicum edant, si in pulverem redacti naribus attrahantur. Eundem effectum a radice etiam & baccis pulverisatis provenire ab aliis pridem observatum fuit. Communem hanc virtutem habet cum pluribus, quibus inest vis vomitoria aut purgativa: sic elleborus, jalappa, asarum & complura alia purgantia simul sternutamenta provocant. Sunt tamen etiam aliqua, quæ ptarmicam virtutem oleo suo copioso & acri, juncto cum sale debent, etsi non sunt in classe purgantium: ut piper, caryophylli aromatici, majorana. Jam quum lili convallium propter oleum æthereum non possit huc referri: superest, ut ptarmicam ejus virtutem a sale ipsius fixo cathartico derivemus. Manifestum illud est in extracto, quod si quis ad scrupuli aut drachmæ dimidiæ pondus devoraverit effectum inde purgantem, non minorem quam ab

ab aloë percipiet: quod sæpius experientia comprobatum novimus. Idem extractum si liquore terræ foliata tartari irroraveris, aut pro tenuioris fortis hominibus salis cujusvis lixivi solutione & spiritu liliorum convallium debiliori, aut ejus & aquæ cinamomi æquali portione dilutum, ad guttas sexaginta dederis, invenies medicinam esse hypochondriacis singulariter salubrem ad præcordiorum innominatas angustias promte dissipandas & animum serenandum. Exerit autem hoc modo effectum aperitivum & resolventem. Si laxativum cupis, repetita brevibus intervallis eadem doses voti compotem reddent.

§. XXI.

Parca, fateor, aut vix ulla est in scriptis botanicorum, & materiæ medicæ auctorum, mentio hujus virtutis purgativæ. Nisi me omnia fallunt, primam ejus mentionem disertam fecit supra citatus auctor recensionis dissertationis Dœderlinianæ, quæ in *Bibliotheca Academica* quondam hic edita pag. 868. legitur. Is autem ad virum illustrem & magnificum D. D. FRIDERICVM HOFFMANNVM, patronum, præceptorem ac promotorem meum perpetua pietate colendum, rem omnem refert. Atque eandem vim catharticam vel maxime confirmat virtus totius plantæ recentis, hyberno autem tempore florum siccatorum, in epithematibus super sigillata, contusaque, inque sacculis ad eundem usum destinatis. Faciunt enim paria purgantibus illis bryoniæ, cucumeri asinino, rosæ, sedo vermiculari, iridi nostrati ac Florentinæ, sambuco & similibus, exterius applicatis. De sigillo Salomo-

lomonis ob vim ptarmicam & catharticam, ut & ob genericos characteres, lilio nostro affine, jam antea diximus.

§. XXII.

Minime itaque adferri possum illis qui liliū convallium a virtute cephalica & cordiali potissimum censent, eamque a sale volatili oleoso seu aromatico arcessunt. Mireris conjungi sub eadem classe lavendulam, rorem marinum, chamamelum, salviā, crocum: deinde flores tunicae, violarum, rosarum pallidarum, tiliae, primulae veris liliique convallium. Ut enim de prioribus nemo facile dubitaverit, quod oleum aromaticum contineant; eoque juvent recte adhibita: sic ex floribus tunicae aut violarum, tiliae, rosarum, nostrique liliū convallium, fluentem virtutem aequo jure tribui oleo debere cui persuadebitur? aut cui potius demonstrari & sensibus omnibus comprobari poterit? Sed nec illis puto rationem sui adferri constare posse, qui vim plantae hujus ptarmicam a sale alcalino derivandam putant: nullum enim certe in floribus adest alcalini vestigium. Quin potius acidi salis documentum haud obscurum ex nostris experimentis collegimus.

§. XXIII.

Quando liliū convallium negamus esse cephalicum & cordiale per virtutem salis volatilis oleosi aromatici: proinde nolumus illud deturbare loco & dignitate, ab antiquissimo tempore habitis. Quin potius, ut de cephalica virtute primum dicamus, adferimus utilissime adhiberi in capitis & nervorum affectibus, eo sensu, quem

ma-

magnus quondam Professor b. D. D. WEDELIVS *in anno-
nit. mat. medic. capite de Cephalicis* innuit, scilicet poros ce-
rebrī & nervorum dilatando, quod facit odor poros ex-
pansivus, qui ex floribus exhalat, moderate admiffus:
deinde discutiendo & dissipando, quod efficit virtus ca-
thartica, quæ per omnēs hujus plantæ partes diffusa est,
& nec spiritui a floribus abstracto negari potest: cui me-
moratus auctor disertim tribuit virtutem poros nervorum
referandi, seque eo hemiplecticos & paralyticos plurimos
curasse testatur, juncto cum spiritu salis ammoniaci. Quod
autem ad cordialem virtutem pertinet, si illa intelligimus
sub hoc nomine, quæ vires collapsas reficiunt, atque motum
cordis languidiorem excitant & sanguinis progressum adju-
vant, in lilio convallium habemus ex floribus recentibus
exhalantem odorem expansivum, non figentis & stupefa-
cientis indolis, sed ad motum ac excretionem impellentis
ob adjunctam virtutem discutientem & resolventem egre-
giam, a principio cathartico pendentem. Hic dum nervis
per tunicam narium dispersis & cum cerebro proxime con-
junctis, sese insinuat, illorum fibrillas commovendo, atque
simul per eandem disseminatos a pari quinto afficiendo,
propagat motum tam ad cerebrum, quam nervos ceteros
intercostalem constituentes, a quibus cordi etiam languenti
nova exstimulatio ad motum adfertur.

§. XXIV.

Magistamen conspicua est hæc virtus in spiritu a liliis
convallium abstracto: quippe in quo volatile salinum,
quod exhalant & odoratui impertiuntur, vini spirituosæ &
maxime utili parti maritatum atque conjunctum fuit. Quo
tamen fit, ut hæc per se omnis caloris & virtutis calefacien-
di expers virtus florum, ob vehiculum, quod continetur & de-
fertur,

D

fertur,

fertur, calefaciendi vires nunc induat & exferere possit. Longum esset, si exponere hic de omnibus spiritus vini do-ribus vellem aut deberem: sufficit, quod omnium confes-sione sit analepticus, & quod motum sanguinis, si debito modo adhibeatur, excitet atque instauret. Vnde fit, ut na-tiva virtus florum discutiens, resolvens & ad expansionem sine calore disponens nunc ob adjunctum calidum, fiat in-star aromaticorum. Videtur prius respexisse HERM. BOER-HAAVIUS in *tract. de virib. medic. p. m. 419.* qui perite omni-no coniungit, & cephalicorum frigidorum nomine laudat, liliū vulgare, liliū convallium, rosam & violas: poste-rius autem in animo habuit auctor dissertationis Altorfinae, qui liliū convallium non nisi frigidis affectibus conveni-re dicit. Atque cum hac cautione adhibita hæc aqua spiri-tuosa, tam interno quam externo usu, egregia deprehendi-tur. Paucis omnia complectitur Exc. D. D. PRÆSES Præ-ceptor Patronus ac hospes meus nunquam non pie deve-nendus, e cuius fidelissima institutione per integrum annum maximum studiorum meorum sentio incrementum; in præ-lectionibus *de viribus & usu medicamentorum officinalium p. 35.* quod sit ex optimis & elegantissimis officinarum aquis, qua-que sola omnium apoplecticarum & epilepticarum locum supplere possit, ut & re vera talium basis est.

§. XXV.

Iam supra §. XIII. occasione sic ferente, adduximus quam grata medicina enascatur, si hæc aqua cum syrupo quodam mixta bibatur. Præcipue illa conducit tristibus & innominata anxietate, ex hypochondriorum inflatione, laborantibus, flatulentis, lipothymia aut syncope correptis. Non enim solum spirituosissimo suo, quod a vino habet, tonum ventriculi & intestinorum nimis laxum instaurat, sed discu-tiente

tiente ac resolvente virtute sua stagnantes humores dissolvit & circulationi debitæ reddit obsequentes. Atque iisdem egregia est medicina si extractum vinosum, liquore terræ foliatæ tartari imbutum, aqua hac non nimium spirituosa diluas, ut guttatim dari possit. Vnde si guttas L. aut LX. exhibueris cum vino aut cerevisia, miraberis effectus bonitatem & celeritatem eximiam. Continuo usu alvum expeditam reddit & conservat, non solum eo, quod tonum ventriculi & intestinorum conservat, atque secretiones & excretiones, adjuto humorum libero circulo, restituit & promovet, verum etiam salinis illis fixioribus suis particulis, quæ efficaciam catharticam continent; quæque sub hac mixtione, hisque comitibus, blandissime afficere & effectum suum edere solent.

§. XXVI.

Quid externo usu aqua hæc spirituosa valeat, paucis edisserendum est. Odore gratissimo excitat & vires refocillat, imprimis si aceto aliquo temperata sit. Sed ante omnia probe se gerit in sugillatis, contusis & collisis, si lintea eo adpersa mature imponantur. Vidi huius effectus spe omni majorem successum, quum nupera æstate aliquis faber cæmentarius prægrande saxum quadratum una cum aliis tractasset, & improvide agentibus ceteris molemq; demittentibus digitum indicem inter hoc & suppositum alterum reliquisset, qui inde adeo compressus erat, ut pulpa omnis anterioris articuli fissa esset, osque nudum conspiceretur. Homo alias robustus, præ doloris vehementia, animo linquebatur. Factum hoc erat in ædibus DD. PRÆSIDIS eodem tempore, quo is spiritum paraverat in laboratorio domestico, & de virtute eius resolvente disseruerat. Quare illico aliquis domesticorum misero homini dabat aliquam ejus portionem aqua dilutam, qua domum abiens digitum identidem foveret, moderate prius calefacta. Effectus is erat, ut dolores mox conquiescerent, digitusque tantopere collisus absque tumore, inflammatione, suppuratione ulla sanesceret, tam quidem celeriter, ut tertio die ad labores intermissos redire posset. In tumoribus calidis dolorificis, ut spirituosa fortiora rarius bonum effectum faciunt, ita hunc quocumque lilliorum convallium non suaserim: sed si sacculis flores indan-

tur, & leviter adpersi hoc spiritu, deinde exhalata jam potiori ejus parte, calide imponantur, non carebunt laudabili effectu.

§. XXVII.

Supereff, ut de baccarum lilii convallium usu medico aliqua subjungam. Rarius illæ apud scriptores medicos leguntur commendatæ: atque vix in officinis pharmaceuticis hodie prostant. Luculenter de earum usu commentatus est D. D. SENCKENBERGIVS, qui parentis sui propriamque experientiam allegat: ex quo de iisdem paucis exponam; plura autem cupientem ad ipsam Dissertationem de hac planta Gœtingæ ante quinque annos editam remitto. Commendat earum, in pulverem redactarum, scrupulum unum ad drachmam integram, inprimis ad Epilepsiam idiopathicam, quam in multis feliciter abstulisse testatur. Excipit autem illas Epilepsias, quæ hereditariæ sunt, aut a capitis prava conformatione ortum traxerunt, ut & ipsa diuturnitate habituales factas. Præmittit, ubi res postulat, venæsectionem & alvi subductionem, deinde, ubi recursus mali prænosci potest, ante illud tempus, alias singulis lunæ phasibus, dosim cum aqua liliorum convallium vel vinosâ vel simplici porrigit. Porro ad compescendos morbos spasmodicos & convulsivos: deinde ad necandos vermes idem remedium commendat. Subiungendum autem eius usui laxationem iubet, ut enecæi vermes educantur.

§. XXVIII.

Alter usus baccarum hujus plantæ est ad febres intermittentes profligandas: polliceturque de eo, quod prævia decente corporis præparatione, per digressiones & incidentias, quibus addi semper possunt, tam egregie se gerant, ut cortice Peruviano facile carere possimus. Datur, quando tempestivum videtur, scilicet quando morbus minui cœpit, ante paroxysmum drachma dimidia. Sed & febre finita potest eadem offerri quantitas. Tanto dignior attentione videtur hæc observatio, quanto indies magis magisque confirmatur prædictis, quod eadem sint efficacia epilepsiarum & febrium, præsertim tertianarum, remedia. Sed pedem hic figimus, DEOque optimo maximo gratias persolvimus qui studiis nostris academicis benigne ad hunc eorum sollemnem finem adspiravit. Faxit porro numen ipsius, ut omnia, quæ peragenda in hac vita supersunt, cedant in ipsius gloriam & proximi emolumentum: hunc enim unum mihi, quoad vivam, præfigo

F I N E M.

NOBILISSIMO ET DOCTISSIMO
DOMINO CANDIDATO

S. P. D.
PRÆSES.

Annus iam circumagitur ex quo ad re-
giam Fridericianam accessisti, ut stu-
diis, discenda medicina in academia
Ienenſi per tres annos atque dimidium,
ac Helmſtadii per integram annum impensis, ulti-
mam manum iniiceres. Gaiſus sum conſpecto filio
venerandi viri, quem candidatum ſacri muneris
adolescens in hac academia ante ſeptem, ni fallor,
luſtra ſuſpexeram; quique numquam non amicitia-
am deinde coluit cum b. ſocero meo, neque nunc deſi-
nit cum eius domo coniunctim & amice viuere. Gra-
tius mihi accidebat, quod muſeum TIBI in adibus me-
is expetere placebat, mihi autem facultas obtingebat
ſatis faciendi tuo deſiderio. Quum ab eo tempore quo-
tidiana nobis conſuetudo intercederet, neque vlla fa-
cile dies, quo non ſæpius colloquendi occaſio enaſcere-
tur, tranſiret, cognitæ mihi virtutes tuæ, ſumma ho-
neſtas, induſtria numquam defatigabilis, Et ot
an-
norum induſtria comparata eximia eruditionis copia
effecerunt, ut quem initio diligebam, mox inſigni a-
more complecterer, mihi que gratularer, quum a TE
viciffim amari, cum aliis multis ſignis, tum illo ma-

D 3

xime

xime studio ac multiplici opera, quam superioris anni auctumno incipiente grauiissime agrotanti mihi impendebas, luculentissime cognoscerem. Numquam meminero tot horarum, quas iucunda & utili confabulatione vel in laboratorio ad furnos chemicos, vel in horto & agris, quando plantas considerauimus, vel denique in museo inter libros vna consumimus, quin mihi in mentem redierit MOSSDORFFII mei amicitia & familiaris consuetudo. Tanto magis me gratulaturum honoribus tuis, dignissimo viro conferendis, interpellat iam & quasi conturbat ille sensus, qui discessum tuum iam prauidens, tristiore reddidit, & tanquam remoram calamito aliquam iniicit. Paucis igitur defungar officio, quod non multa verba, sed serium votum requirit. Faxit deus, qui tot annis propitius TIBI adfuit, & studiorum decursum felicem tribuit, ut hic transitus ad artis opera exercenda faustus TIBI fortunatusque sit, agrotis autem, qui se tua fidei curaque permittent, semper auspiciatissimus eueniat. Venerando seni, patri tuo, ac dilectissime matri, det deus ut complures annos optato rerum tuarum successu impense gaudeant. Ego vero quicquid ab amicitia nostra in TE proficisci vniquam poterit, ita promte & alacriter a me praestitum iri polliceor atque recipio, quam serio a TE cupio porro amari. Vale. Scripsi in acad. Frideric. die XVIII. Mart. cl. 1700. CCXXXII.

Freund

S Freund, die Weisheit führet Dich, in Hygieens Tempel ein,
Wo die Künste wie die Lilien, in beständiger Blüthe grün.
Und ich soll von Deinen Wissen, icho selbst ein Zeuge seyn,
Und mich Dir zu widersprechen, an den heurigen Fest erkühnen.
Streit der Wille gleich für mich, fehlen doch die Kräfte hier
Den gelehrten Feder-Kiel, **Werbet Freund**, zu widerlegen,
Selber die Bescheidenheit, will, und sagt ich weiche Dir,
Und die reinen Freundschafts-Triebe, die sich icho in mir regen.
Unter dessen wag ichs doch, ich stell mich zum kämpfen ein,
Da es **Deine Edle Tugend**, und Aufrichtigkeit besiehet,
Die soll meiner Pflichte Zoll, und der Wünsche Opfer seyn,
Dass des Glückes heitrer Strahl, stets auf meinen Freunde spielet.

Ernest Anton Nicolai

C. N. Reinhold,

M. C. OPPON.

S Freund, Du suchst im Schmuck der Blumen Medicinen zu
erhöhen
Drum so laß Dich in der Krone in dem frischen Lorbeer sehn
Den Du nun mit Ruhm erlangst. Dein gestiftenes Bestreben,
läßt Dir auch im Überflus künftighin die Früchte heben.

C. J. Geld.

Melo- Marchicus. OPPON.

S Vanis odor spirans commendat lilia nostra,

Et prödit racitas utilitatis opes ;

Sic calamus specimen, Fautor, Tuus exhibet artis

Doctrinæ retegens interiora tua.

Premia nunc capias, sanes feliciter agros,

Sisque decus patriæ grande, meique memor.

Ernest. Anton. Nicolai,

OPPON.

Es

Es ist und bleibet wahr, wer Kunst und Tugend liebet
Und sich sehr emsiglich, allzeit darinn geübet,
Dem bringe bey aller Welt sein unermüder Fleiß,
Das was unsterblich ist: ich meyne Ruhm und Preis.
Du hast Hoch-Edler Freund, gewiß schon manche Proben
Des Fleißes abgelegt, die jedermann muß loben,
Und heut erwirbest Du, was Dir davor gebürt,
Da Dich die Facultæt als DOCTOR grüßt und ziert.
Der Himmel schencke Dir, ie mehr und mehr Vergnügen,
Daß Du der Kranken Schmerz vollkommen mögßt besiegen:
So fehlet denn nichts mehr, als daß des Höchsten Hand
Dich mache recht beglückt, mit einem Liebes-Band.


Johann Samuel Huber,
Posoniensis Med. Stud. OPPON.

Mein Bruder Du betriffst anseht die Ehren-Stuffen,
So hör ich überall Salinens Musen ruffen.
Drum wird mein Blick geschärft, mein Geist und Trieb ergetzt
Mein brüderliches Herz in stille Lust gesetzt.
So steigt, so bleibet Dein Ruhm von solchen Ehren-Zweigen,
So laßst Du jedermann Dein reiffes Wissen zeigen.
So muß so Mund als Geist bey mir vergnügter seyn,
Trift Wunsch und Hoffnung nur von Deiner Wohlfarth ein.

J. G. G. Mosdorff,
S. S. Theol. Stud.







ULB Halle

002 383 314


3



sb.







B.I.G.

Farbkarte #13

234

1742, 160

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE

LILIO CONVALLIVM

QVAM
PRAESIDE

D. IOANNE HENRICO SCHVLZE
MEDICINAE ELOQVENTIAE ANTIQVITATVM ET
PHILOSOPHIAE PROFESSORE PVBLICO
ORDINARIO

ACADEMIARVM IMPERIALIVM NATVRAE CVRIOSORVM
ET PETRIPOLITANAE VT ET REGIAE SCIENTIA-
RVM SOCIETATIS BEROLINENSIS
SODALE

PRO SYMMIS IN ARTE MEDICA HONORIBVS

ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS
MORE MAIORVM RITE OBTINENDIS

Ad d. Mart. MDCCXLII.

PVBLICE DEFENDET
A V C T O R

GODOFREDVS CHRISTOPHORVS MOSSDORF

IERSLEBIA - MAGDEBVRGICVS.

HALAE MAGDEBVRGICAE

Litteris IOAN. CHRIST. HILLIGERI, Acad. Typogr.